

*De canibus, felibus, aliisque dome-
sticis ac cicuratis animalibus,
quæ circumuagari solent,
abigendis, vel domi
continendis.*

CAPUT IX.



EX P E D I T A proximo capi-
te perpurgandi ratione, quã
spurcis animalibus remo-
uendis, finis & platearum
inquinamentis auferendis,
fossis, paludibusque implẽ-
dis, corrigendisve: denique
aere ignibus collustrando constare diximus,
hoc loco videndum est, quid de canibus, felibus,
capris, aliisque cicuratis ac circumuagantibus
bestiis ex utilitate rationeque dici ac statui pos-
sit. Hic igitur conseruatorum edictum mox ab
initio morbi extare velim, quo eiusmodi vel abi-
gantur, occidanturve, vel sedulo intra priuatos
parietes contineantur custodianturque. Quod
sanè non imprudenter Respub. quædam obser-
uant, vt quibusdam anni temporibus, præcipue
autem circa ardores Syrios, quando Sol Leonis
signum ingreditur, quod tempus vulgò dies ca-
niculares

*Dioscor. 6.
cap. 26.*

niculares appellant, canes interfici mandent, cuius causam hanc esse existimo: cum animal valde æstuans, & natura biliosum sit canis (teste Ga *Part. 1 de*
 leno, et si Gordonius, non malus alioqui autor, *feb. cap. 17.*
 atrabilarium esse putet) & habeat cordis cauer-
 nulas admodum angustas, illo tempore cum cæ-
 li feruor flagrantissimus est, inflammatis in cor-
 de humoribus, & ebulliente supra modum san-
 guine, in rabiè facilè efferari solent: vnde postea
 tum hominibus, tum aliis animalibus maximū
 præsentissimūq; impendet periculum. Quod *Canis rabi-*
 si igitur simile quippiam etiam hic nō solūm de *biosus cum*
 canibus, sed etiam felibus, atque aliis eiusmodi *pestifero*
 tam cicuribus, quàm cicuratis animalibus dici *collatio.*
 queat, nempe vt virus hoc pestiferum, quasi ra-
 biem quandam non minū quam homines as-
 sumere, & niū domi coerceantur, ad alios defer-
 re, etiam ipsis sæpe innocuis permanētibus, pos-
 sint, nōne eadem ratio in hoc quoque statu e-
 pidemico valebit? Imò verò tantò magis hīc va-
 lebit, & imitanda est, quantò magis non modò à
 cōtactu morsūve eorum, vt ibi, sed etiam ab in-
 fecto per illa communi aere contagionēque fun-
 denda inferendāque, dum perpetuò huc illūcq;
 cursitant, periculum metuendum est. Accedit
 huc, quod rabie deterius est: infecti enim lue pe-
 stifera canes, sicut & aliis malis laborātes, domū
 suam plerūq; repetūt, & domesticis suis, tanquā
 ab illis opem sperantes, vel apud illos asylū que-
 rentes, se intinuant, proximēque adiungunt, vt

*Dioscor. 6.
cap. 35.*

*Scribon.
Larg. de cō
pos. med.
Alex. Ben.
26. cap. 16.
Matthiol.
lib. epist. 6.*

traditoris Iudæ exemplo ipsum aliquando herum suum hoc periculo inuoluât, prodantque, cum rabidi plerunque contra tam notos, quam ignotos fugientes, in loca syluestria sese recipiât, adeoque se apertos hostes indicent, ut cauere & fugere liceat, ac raro alios, quam qui obuij fiût, qui que se ipsis opponunt, inuadant. Item qui veneno pestilentiali affecti sunt, sæpenuerò morbi vehementia in locum aliquem secretum se abdunt, ibique taciti moriuntur, & mortui, priusquam res cognoscatur, longo nonnunquã tempore iacentes putrescunt, funestisque vaporibus aerem inquinant, atque ita non solum viui, sed etiam mortui plurimum nocent, quod in rabiosis non similiter accidit. Postremò si inter se cõferas morbi vtriusque genus, quamuis ambolethali periculo sæuiant: tamen minus perniciofa est rabies, quia diuturniores plerunq; concedit inducias, nec tam celeriter vniuersas prostermit affecti corporis vires, ac proinde nec tam præceps exitium affert, quam pestis. Hæc enim adeo est subtile, penetrans, vehemens, demum adeo vitali spiritui infestum hostileque venenũ, ut per quoscunque meatus corporis transire, ac paucis horis vitæ arcem occupare, & mortẽ inferre possit. Quod cum ita sit, si rabiosos canes omnibus modis vitandos censemus, multò magis pestilentes vitandos esse, rationi consentaneum est.

Sed vnum fortè tibi incredibile videbitur,
quòd

quòd canes, feles &c. innocuos aliquando à peste diximus manere, & nihilominus ad alios afferre, eosque intoxicare. Cuius rationem reddere difficile non est. Hoc enim ex recipientis subiecti dispositione accidit, in qua secundum Aristotelem, Galenum, Auicennam, reliquosque insignes philosophos, rei effectio potissimum consistit. Nam cum aptum est subiectum, tunc efficiens causa quantumlibet imbecillis, effectum suum citò potest producere: ut stupam, vel sulphur celerrimè accedit vel exigua scintilla. Què admodum rursus cum effectrix causa est potes, tunc quoque vel non aptam materiam subigere, & pro arbitrio suo in eam agere valet. Licet enim sulphur facilius ignem concipiat, quam lignum, & lignum siccum aut in asseres fissum facilius quam viride ac solidum: tamen ardens focus aut fornax tam crassa, quam tenuia, tam viridia, quam sicca in flammam rapit & consumit. Vehemens enim, ut dixi, agentis vis, subiectam tibi materiã celerrimè disponit atque informat. Hinc Marsil. Ficinus medicus & philosophus eximius de peste quadam suæ ætatis, videlicet anno 1479 refert, in agro Italiae, Coregio dicto, feles & canes aliquoties pestem ex vna domo in alteram intulisse, ipsis nulla ex parte contagio læsis. Idem dicitur de alio quodam, qui ab equo suo peste fuerit infectus, à qua tamè equus nullum senserit damnum. Quæ omnia eò dicuntur, ut intelligatur, minimè securè aut oscitater

Alex. Aphrod. 1 problem. 85.

De Epide. cap. 2.

Th. Eras. disputat.

Paracels. part. 1.